re morum bonus sit vel malus, & planè extrinsecum quid est, respectu perspicaciæ intellectus, circa conducentia ad finem, propter hanc causam & Prudentiæ tribuitur sagacitas, & etiam astutiæ sive calliditati. II. quia consultatio pro ratione suâ formali est deliberatio de mediis. Ergo post consultationem propriè loquendo, de mediis nemo deliberat, sed eo ipso dum consultat, deliberat etiam de mediis, atque adeò minùs concinnè in illâ definitione asseritur; Homines post consultationem, deliberare de mediis, introducendi vel conservandi status. III. quia citatus Autor in *cap.* 9. *d. loc.* ipse fatetur, media conferentia ad salutem Imperii differre, imò sæpè contraria esse, illis quæ prosunt saluti Imperantis. Ergo hæc sub illis comprehendi nequeunt, adeoque ut-ut Autor in *d. cap.* 8. *circa fin.* contrarium innuat, videntur in definitione, exprimenda fuisse nominatim.

His tamen, & si quæ sunt similia, non obstantibus, ex prædictâ definitione saltem copia suppetere potest, perveſtigendi naturam Rationis Status, generatim consideratæ, quatenus